

1409
DE
**ONERE ALENDI INFANTES
EXPOSITOS.**

1777. 23.

SCRIPSIT

ET

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRAESIDE

CHRISTIANO GOTTLLOB EINERTO

IVRISSCENTIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE

D. XI. SEPTEMBR. MDCCCLXXVIL

DISPV TABIT

CAROLVS GVILIELMVS SCHWETSCHKE

GLAVCHAVIENSIS.

LIPSIAE

EX OFFICINA HOLLIANA.



CELSISSIMIS AC ILLVSTRISSIMIS
DOMINIS
FRIDERICO ALBERTO
ALBERTO CHRISTIANO ERNESTO
CAROLO HENRICO
LUDOVICO ERNESTO
HENRICO GUILIELMO ERNESTO
OTTONI CAROLO FRIDERICO
HENRICO ERNESTO
S. R. I. COMITIBVS
A S C H O E N B V R G
COMITIBVS ET DYNASTIS IN GLAVCHA ET WALDENBURG
NEC NON IN HARTENSTEIN LICHTENSTEIN ET STEIN ETC.

GESCHÄFTSMODELLAUSSTELLUNG

IN DER MINT

WIRTSCHAFTSUNIVERSITÄT

STUTTGART SOMMERFERIEN

CAMPUS STUTTGART

WIRTSCHAFTSUNIVERSITÄT

STUTTGART SOMMERFERIEN

WIRTSCHAFTSUNIVERSITÄT

STUTTGART SOMMERFERIEN

WIRTSCHAFTSUNIVERSITÄT

STUTTGART SOMMERFERIEN

WIRTSCHAFTSUNIVERSITÄT

STUTTGART SOMMERFERIEN

WIRTSCHAFTSUNIVERSITÄT

CELSISSIMI AC ILLVSTRISSIMI
C O M I T E S
DOMINI CLEMENTISSIMI!

Vt id consilii exsequerer, *Celsissimis ac Illustrißimis Nominibus Vestris haec studiorum meorum primordia consecrare, et devotionis, qua Vobis deuinctus sum, ratio, et insignium ab Clementia Vestra larga manu in me collatorum beneficiorum memoria me potissimum mouerunt. Etsi enim leue hoc esse meae industriae specimen, nec argumenti fiducia tantis Maecenatibus se commendare, bene intellexi, tamen Munificentia Vestra me in firmissimam spem adduxit, fore, ut, quo soletis, placido vultu et gratioſo hunc pietatis et gratitudinis erga Vos meae interpretem accipere haud dedignarimini. Quod autem meae dissertationi aut arte aut scientia*

verum comparare non potui ornamentum, Clementia, qua
illam accipietis, supplebit. Hanc igitur exiguum commenta-
tionem eo securius Vobis, Maecenates Optimi! deuotissime
trado, quo facilius me veniam a Vestra Clementia impetra-
turum, confido, si ingenii mei temuitas rei propositae mensu-
ram haud impleuerit. Qua religione inflammatus, nil, nisi
Vobis et Celsissimae ac Illustrissimae genti Vestrae perennem
felicitatem ab supremo omnium rerum arbitro solemnibus
formulis adprecari, superesse sentio, quod obsequentissime
voueo

CELSISSIMORVM AC ILLVSTRISSIMORVM
NOMINVM VESTRORVM

deuotissimus

CAROLVS GUILIELMVS SCHWETSCHKE.



DE
ONERE ALENDI INFANTES
EXPOSITOS.

§. I.

Praefatio.

Hd praeferunt negotii nobis, hoc leue scriptum conscientibus, dari credidimus, vt, quae vnu forensi non esset plane destituta, nec nimis trita, feligeremus materiam. Hoc enim in primis esse cauendum, ne dictu iniuria adeoque lectu indigna proponantur, constans quidem fuit semper, qui animum ad scribendum appulerunt, seueriorum opinio. Quo consilio nobis etiam, vt legibus academicis satisfaceremus, ac studiorum qualemcumque rationem redderemus, in mentem venit argumentum, quod et quandam utilitatis praef se ferret commendationem, et ad vitae usum accommodationem in se contineret. Aperte quidem profitemur, non tantam in nobis esse causarum forensium cognitionem, vt aliquid doctiorum lectione dignum in medium proferre valeamus, neque vt nos gloriae inde nanciscendae in spem vocemus,

non

*non ea vis animo, nec tanta superbia nobis,
sed contenti officio nostro satis fecisse videbimur, si intelligentes
harum rerum iudices nostrum institutum non plane improbabunt.*

§. II.

*De Expositione infantum generatim, in primis secundum
leges naturales.*

Pari vindicta parentum ac deorum violationem expiandam esse, olim iam creditum est Soloni, adeo, ut poenas in parricidas statutas inanes esse sibi blandiretur, quoniam ipsis naturae manus inferre violentas, et facinus homicidio atrocius committere, tanquam incredibile quid considerabat(a). Caedem infantum quocunque modo aequale nefas continere, eademque poena eiusmodi sceleris pollutos afficiendos esse, contendit iam Illust: HENNINGIVS BOEHMER. Quum enim magis descendit, quam ascendit amor ille naturalis, cuius vinculo coniuncti sunt parentes et liberi, violationem huius naturalis obligationis graui suppicio vindicandam esse, nemo vnuquam dubitat. Quamuis vero saepissime accidit, ut non ipsis manus suas sanguine infantum inquinent parentes, saepe tamen eos, vel in locis periculosis et desertis abiiciendo, vel tamen e conspectu hominum haud remotis exponendo per indirectum necant. Euitare cupiunt hoc illegitimo actu alendi educandi necessitatem, ad quam ex legibus diuinis naturalibus iam adstringuntur. Cui enim causa hominis existentiae adscribenda, huic etiam de his, quibus conditio naturalis et ciuilis siue socialis absolvitur, prospiciendum est. Explenda huius obligationis in finem competit parentibus iam naturali jure aliquod imperium in liberos quippe patria potestas. Ex quibus prono alueo fluit, eos, qui oneri, infantes suos alendi, se subtrahere conantur, actio-

(a) Quod refert quoque Cicero in orat. pro Roscio Amerino. Sic factum Dionysii, matrem interficiens, fere miraculum interpretatum esse, Aelianus est testis l. XIII. var. historiar.

actionem legibus naturalibus contrariam committere, adeoque expositione infantum iure naturali iam delinquare. Ad neminem tamen perfecto jure hoc onus, si infans adhuc viuus reperitur, in statu naturali devoluti potest, sed solae humanitati assignandum putamus.

§. III.

De Expositione infantum secundum Ius Romanum.

Nihil frequentius statim a primordii reipublicae Romanae infantum expositione fuisse, ex eo apparet, quoā prius ejus rex Romulus hanc liberam exponendi licentiam restrinxit et parentibus necessitatem, et prolem matūlām, et ex filiabus primogenitām, educandi imposuit, reliquas eiusdem sexus tamen exponere permisit (*b*). Quām quiē legem Romanī sequentiū temporib⁹, cum liberorum suorum principes se crederent (*c*), obliuioni tradiderunt, suoque iure magis magisque ab ali⁹ fuerunt. Invaluisse igitur sub Cæsarib⁹ morem partus exponendi, quāmis leges prohibitiuae adessent (*d*), vestigia passim extant apud scriptores luculenta (*e*). Quo tempore autem cessauerit haec licentia, quandoque penitus sit sublata, diu multumque inter eruditos disceptatum, praesertim inter Noodtium (*f*) et Bynchershoeckium (*g*), qui magni nominis viri fere exhausterunt hunc Romanorū ritum, quapropter etiam nobis hic non commorandum esse putamus (*h*). Hoc saltim monebinus, sub Valentiniano, Valente et Gratiano tandem hunc morem exilio fuisse datum, satis et luculenter comprobasse Noodtium (*i*). Nec tamen ea intentione, vt crudelita-

(b) Dion. Halicar. II. 88.

(e) Ulpian Fragm. T. IV. §. I.

(4) L. L. π. de agn. et alendis lib.

(e) Sueton, in Octaviu, et Calig. Tac. I. v. hist. c. 5.

(f) In Julio Paullo.

(2) De Iure occidem

(b) Vid. etiam Heintze de eo,

(i) L. c. C. 4. 5.

三

tem suam infantum calamitate satiarent, multo minus detestabili commoti saevitia, quae humanae naturae maxime est inimica, eos exposuisse videbantur Romani, cum enim tales abieci viisque ad Iustiniani tempora, qui eos sine discrimin'e liberos pronunciauit (*k*), macula seruitutis laborarent, spes certa aderat, fore ut nutriendi causa tollerentur, quippe patrimonium eius, qui onus alendi suscipiebat, seruo augebatur. Infans, ignorant'e vel inuito domino expositus, solitus impensis in eius educationem consumitis, repeti poterat (*l*).

§. IV.

De Expositione infantum secundum Ius Germanicum

Inter alia, quae de pietate maiorum nostrorum, testimonia exhibet Cornelius Tacitus, dignissimum lectu hoc nobis videtur: „numerum liberorum finire, inquit, aut quemquam ex agnatis necare, flagitium habetur. Plusque ibi boni mores valent, quam alibi bonaee leges.., Ex quibus facile colliges, infantum expositionem in hac illustribus probitatis exemplis, diuite genta, Taciti aetate, fere ignotam fuisse. Ex qua causa neque in legibus Francorum, neque Bavariorum neque Alemannorum aliorumque Germaniae populorum poenam in eiusmodi delinquentes esse sanctam inuenies. Coercebant tamen Visigothi poena talionis, et confiscatione bonorum Longobardieos, qui patrem, matrem, fratrem, sororem, aut affinem necare ausi fuerant; inde immortali Heineccio (*m*) assentior, qui quemadmodum ex analogia legis apparet, etiam infantum expositione commissum fuisse parricidium, statuit. Quam quidem opinionem sequi eo magis confirmamur capitularibus Caroli M. (*n*) quibus in exponentes homicidarum poena sanctitur, si, decem diebus elapsis, parentes repeteret velint infantes. Expositi vero

intra

(*k*) L. 3. et 4. C. de inf. exp.(*l*) I. i. C. de exp. inf.(*m*) in Elem. iuris Germ. L. II. T. 27.(*n*) L. VI. §. 141.

intra hoc spatium a nemine agniti cedunt iis, qui eos sustulerunt. Saxones et Suevi poena legis Pompeiae de parricidis (o) afficiebant parricidas prolesque exponentes, cuius mentionem faciunt Spec. Suev. (p) et glossa iuris Saxonici (q) quae simul rationem enarrat, cur delinquens culeo insuatur cum cane, gallo gallinaceo, vipera et simia. Quas denique poenas Nemelis Carolina (r) in eiusmodi criminis reos flatuerit, quasque differentias in ipso crimen occurentes, adiecerit, et e contextu ipso appareat, et apud scriptores iurisp. criminalis legi potest (s), quos quidem neque exscribere, neque materiam saepius repetitam iterum decantare cupimus. Diffsensus dicasteriorum Saxoniorum ratione poenarum huius criminis singulari decisione remouit Saxonum Elector (t). Nihil tamen aut constitutio Carolina, aut decisio Saxonica disponit de infantum expositorum alimentatione, nec ullus, quantum scio, scriptorum ex instituto hoc argumentum fusius explicavit. Ex qua causa illud hoc libello accuratius pertrandi occasionem arripimus.

§. V.

De onere alendi infantes expositos annexae quæstiones dilucidantur.

In hac quæstione decidenda mirifice variant scriptores rerum criminalium, qui id argumentum attigerant. Cum de parentibus infantis expositi constat, eos ad prolem recipiendam, alendam educandamque adigendos esse, consentiunt quidem

B 2

in

(o) L. 9. ad. L. Pomp. de part.

(p) Art. 231.

(q) Ad. I. 1. art. 14.

(r) Art. 132.

(s) Quistorps *Peinliches Recht* ed. nouiss. de 1776 p. 445. Bochmer ad Carpz. qu. 10.

(t) Decil. 178. de 1661.

in vnum omnes (w). Qua ex ratione etiam liberos per expositionem e patria potestate exire siveque juris fieri, plane negandum esse opinamur. Neque legi (x) ad quam dissentientes provocant (y), contrariatur nostra sententia, verbis enim „nec suum dicere poterit, quem pereuntem contempsit, „ alterum legis caput, in quo de dominis et patronis sermo est, (in priori enim de patre disponit legislator,) absolvitur. Quod exinde quoque apparet, quod duae diuersorum imperatorum leges in hac sanctione a Triboniano coniunctae sint. Valentiniiani enim constitutio finitur vocabulo *subiacebit*. Reliqua autem verba sunt Honorii, quae leguntur in L. 2. C. Theodos. de expositis, quod latius demonstrauit Jacobus Godofredus (z). Neque ipsum patrem juri suo renunciasse, praesumendum esse censeo, quippe quae renunciatio, cum crimine, adeoque illegitimo fundamento nascitur, juri omnino destituitur, adeoque vitiosa est. Etenim non in arbitrio patris positam est, an patriae potestati in infantem nondum educatum renunciare velit, nec ne? Aduersaretur haec renunciatio legibus publicis, quae ad certum terminum patri in liberos potestatem concedunt. Annexa quoque hic occurrit quaesito, quam paullulum inuestigare liceat, vtrum nempe legitimi vel illegitimi censendi sint infantes expositi? In quo argumento magnopere dissentient doctores. Negatiuam sententiam defendunt, illosque, quippe qui plurimum hodie ex stupro a matribus suscepti essent, illegitimis accendendos esse, contendunt Iustus Henningius Bochmerus (a). Io. Sam. Fridericus de Bochmer (b), aliique magni nominis viri. Attamen hoc in casu non de eo, quod plurimum sit, nec ex ipsa expositionis qualitate, quae in numero delictorum versatur, capiendam esse praesumptionem, sed potius in re dubia

(w) Quistorps *Grundsatze des peinlichen Rechts*, p. 285.

(x) L. 2. C. de inf. expositis.

(y) Vid. Heintze de eo quod infustum est circa exp. inf.

(z) In Comment. ad C. Theod.

(a) In iure Eccles. Protestantium L. V. I. II.

(b) Ad Carpzovium qu. 10.

dubia benignorem sententiam sequi, ne innocens calamitatis inuoluatur, existimo cum illustri Leyero (c), praelertim cum nemini hac presumtione aliquid accedat vel decedat, et quamvis ill. de Bochmer eam facilius apud Romanos admittere velit, quorum ciues, liberorum numerum saepissime horrentes, frequenter infantes exponebant, attamen ei etiam in Germania nostra locum dari credimus, quoniam quaelibet arripieuda occasio, quae benignius responsum praebet (d). Sufficient haec, quae breuib[us] de priori casu, si de expositorum parentibus constet, disputauimus. Ad alteram vero quaestione[m], si de parentibus non appareat, quod attinet, interpretes in varias ac diuersas ire sententias, deprehendimus, ali[us] enim inuentori, ali[us] fundi possessori, in quo reperitur, ali[us] ecclesiis, ali[us] magistrati, nonnulli denique vniuersitat[i] hoc onus imponendum esse, existimant.

§. VI.

Neque inuentori, neque in cuius fundo reperitur infans, alendi onus incumbit.

Ex iuris naturalis quidem quamvis imperfecta obligatione alteri in miserrimo statu ac derelicto succurrendi, eumque a praeſentissimo mortis periculo liberandi, quisque tenetur, ut legibus humanitatis satisfaciat. Nemo autem magis ope indiget, ac infans in locam fortasse solitarium ac periculosum sine viribus vitaeque subsidiis expositus. Etsi igitur, qui eiusmodi abiectum et humanae misericordiae demandatum inuenit, ei subvenire et a limine mortis retinocare debeat, eoque officio neglecto, morte infantis secuta, in Rebus publicis vel mulctae vel carceris poena eiusmodi inuentor ab omni humanitate alienus merito afficiatur; attamen haec omnia non efficiunt, ut totum

B 3

alendi

(c) In med. ad. II. Spec. 613.

(d) Ridiculum tamen est, eiusmodi infantes nobilibus adnumerare, quod Lusitanos fecisse legimus, „parce qu'il peut arriver, disent'ils, qu'ils soient fils de gentilshommes.“ Vid. la description de la Ville de Lisbonne Vol. I. tit. I.

alendi educandique onus ei assignaretur, siquidem ex humanitatis officio, quo erga auxilium indigentem vslus fuit, non magis huic, quam possessori fundi, in quo inuentus est infans expotus, alendi onus imponendum esse censeo. Nil dicam id ipsum periculosum futurum esse infantibus expotis, cum sic multi forsitan onere alendi dererriti, a susceptione istius partus abstinerent.

§. VII.

Neque ecclesiis hoc alendi onus incumbit.

Ex pietatis studio ecclesiis proprio, nonnullos video, qui onus alendi expotis ei imponi contendunt. Fouent hanc sententiam lo. Petr. Sardi (*e*) et Anton Perez (*f*), quae autem, cum deest perfecta obligandi ratio, firmo argumento plane destituitur. Licet, ut Boehmerus monet (*g*), in hac rem varia veteris aevi decreta ecclesiastica extent, hodie tamen certe, si vel ante fores templi repiriretur infans, eius educationem ecclesiis aut consistorio imponi nullum legis argumentum suadet, ut variis rationibus demonstrat Carpzouius.

§. VIII.

Neque magistratui superiori hoc onus tribuendum est.

Firmiori jure plurimi doctores magistratui superiori hoc onus adscribant (*b*). Ita enim ratiocinantur: magistratui superiori jus fisci, quod solus olim princeps habuit, cum emolumento, bona amissa et vacantia occupandi concessum fuit, inde etiam ad onera, quae cum jurisdictione cohaerent, deuinctus est, secundum regulam: qui sentit commodum, etiam incommodum sentiat, necesse est. Falso tamen, meo iudicio, disputant. Etenim neque legum auctoritate, neque communii locorum et prouinciarum

(*e*) In tract. de alimentis qu. 81.

(*f*) In praelect. ad C. L. VIII. T. 52.

(*g*) Ad Carpzov qu. 10.

(*b*) Berger in Elect. crim. p. 3. a Leyser in Med. Sp. 617, et scriptores iuris criminalis fere omnes. Vid. etiam Beckius de jurisd. sup. p. 508.

rum consuetudine fulcitur haec opinio. Nec eum in finem competunt magistratui fructus jurisdictionis, vt omnia e criminibus profluentia resarciat damna, siquidem exinde simul sequeretur, magistratum etiam teneri ad rerum furtuarum restitutionem, sed potius ob magnas, quae in exercenda iurisdictione requiruntur, impensas. Accedit et hoc, quod non vbiique in Germania ius fisci et bona vacantia occupandi superiori magistratui competit, sed solummodo in Saxonia vigeat. In quibus enim prouinciis auctoritatem non obtinet ius Saxonum, sed vigore juris R. proceditur, ibi fisco principis eiusmodi bona cedunt (*i*). Quam ob rem ea, quam Leyserus attulit, ratio sufficere mihi non videtur ad onerandam iurisdictionem superiorem hoc alendi expositos incommodo. Sed alia Bergeri ratio curatiis inuestiganda est. Ita enim philosophatur, quaecunque oriuntur e delicto, cuius cognitio pertinet ad iurisdictionem superiorem, ea etiam ad iurisdictionem superiorem referenda sint. Ingeniosum certe argumentum, curatori tamen eius illustratione facta, quantum a veritate abhorreat, non arduum erit intellectu. Ita enim causa amissae dotis in foro criminali, in quo de adulterii crimine cognitum est, tractari deberet, quae tamen, vt in aprico est positum et neminem fugit, ad confitiorium pertinet. Probe autem separanda est cognitio de crimine expositionis ab expositi infantis alimentatione; illius enim, quamvis huic occasionem dederit, cum hac non tanta conexio est, vt huius incommodum prioris cognitionem necessario sequatur. Minus quoque ad aequatum esse argumentum ductum a causarum continentia, quippe, quae cum tantum in rebus litigiosis locum habet, alimentationem infantis expositi haud complectitur, luculenter demonstrauit Meisterus (*k*). His accuratiis perpernis, eorum sententiae, qui magistratui superiori onus infantes expositos alendi attribuunt, cum nullo juris fundamento

(*i*) Engelbrecht de iurisd. sup. et inf. in iurisdict. l. 10. cap. 10. 10.

(*k*) Im peinlichen Proces, Absch. I, Cap. II.

mento nititur, sed solo iurisperitorum, quamvis plurimorum auctoritate vigeat, haud assentiri possumus, quo magis multa, quae supra exposimus, argumenta, ei repugnant, nec injuria viris summis, supra laudatis fecisse putamus, cum iam celeberrimus Quistorpius suum de debilitate istorum argumentorum judicium palam declarauerit. §. 285. l. c.

§. IX.

Nostra de onere alendi opinio.

Satis itaque putamus esse factum iis, qui aut inuentori aut fundi possessori, aut ecclesias hoc alendi incommodum impununt, aut superioris iurisdictionis onus id esse volunt, superest, ut quibus illud merito attribuendum esse putemus, paucis adhuc demonstretur. Sapientissime nostro iudicio expositionis aut occisionis partus criminis obuiam ire voluerunt principes in nonnullis prouinciis brephotropheis, quales aedes praeter illas, quae Parisis magno splendore magna que cura conseruantur, in Germania inueniuntur Herbipoli, Norimbergae et Berolini sub nomine la charité. Deficiente eiusmodi laudabili instituto, onus alendi iure meritoque ad totam vniuersitatem loci spectare, contendimus. Cum enim cura pauperum et egenorum, in quorum censu infantes expositi, omnium rerum inopés, vtique veriantur, communitatibus propria est, iis etiam opibus suis horum expostorum inopiam subleuare, delegandum esse censem. Vi socialis obligationis nempe qualibet vniuersitas ciues suos conservare et egestatem eorum subleuare tenet, cum quodlibet vniuersitatis membrum eadem lege commodum et incommodum ciuitatis sentiat. Ex qua causa etiam in multis locis eleemosynarii ab vniuersitate sunt constituti, qui pauperibus et egenis ex aerario eleemosynarum, cuius proprietas est penes vniuersitatem, largitiones distribuere, omniq[ue] modo alieno auxilio indigentibus subvenire debent. Qua in ciuitate igitur extat eiusmodi aerarium, infanti expositos ex eo sunt alimenta

prae-

praebenda, quemadmodum per diuersas leges prouinciales (l) fanevit esse legimus, veluti lex provincialis Brunsvicensis disponit: *dass wenn die Armencaſſe des Orts nicht zureichend iſt, ſolche Urukosten zu ertragen, die Commune, Dorffchaft, Gemeinde, oder wenn auch diese des Vermögens nicht iſt, das Kirchspiel, worin die Kinder gebohren werden, zu treten, und unter der Direction der ordentlichen Obrigkeit, ihre Nebenanlagen, nach den gewöhnlichen Prinzipiis, ſoweit erhöhen foll n, dass daraus die determinirte Summe der Alimentationskosten bergegeben werden könnn.* (m). In iis locis, in quibus orphantrophea reperiuntur, iis alimentatio infantis expositi posset commendari. Quodsi vero eiusmodi commune viuueritatis institutum, aut aerarium deficiat, singula eius membra ad alimentationem expositi impensas conferre tenentur, quo magis interest societatis, nullum ejus membrum periire, nec puto fore, qui infantes a societate excludendos esse, existimant, cum ciuium habilitas non soleat ex annorum serie iudicari. Accedit, quod eodem certe iure gaudere debeat expositus, ac peregrinus, qui pro subdito temperario habetur. His filium nostrae dissertationis abrumperē placet, benignam lectorum censuram exspectantes.


(l) De Frisia id enarrat Sande L. II. T. VIII. de Episcopatu Wurzburgensi Kirchgesner p. 581. In ductu Calenbergi, ut et Grünenhagensi expositis ex parte aus der Rentkammer, ex parte aus der Klosterkammer alimenta praefari, refert Struben im rechtlichen Bedenken P. I. p. 406.

(m) Chmura schw. Landesordnung c. I. p. 984. quam legem allegavit ill. Struben l. c.



NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
A V C T O R I
S. D.
P R A E S E S.

*E*t si supervacuum sit, publicum TVAE diligentiae indefessae libello TVO addere testimonium cum haec TVA proprio Marte conscripta disputatio, ex qua mihi vindicio omnino nihil, de ingenii felicitate, judicii acumine et verborum elegantia omnino digna ponat monumenta: Dimittere tamen non potui locum ac tempus opportunitissimum, animum TIBI testificandi meum, huncque studiorum Academicorum finem et hoc specimen doctrinae TVAE insigne gratulandi. Maecte igitur hac TVA virtutis indole et perge strenue, vita hactenus fecisti laudabiliter, quotidie cogitare, TE non TIBI sed patriae natum esse. Tunc enim certissima gloriae et felicitatis habebis praemia. Quod reliquum est, quantum in me erit, omni amoris et amicitiae genere TE prosequi nunquam intermittam, ut vero TVA viciissim in me benevolentia perpetua sit, enixe rogo. Vale. Scripsit Lipsiae d.
X. Septbr. CICDCCCLXXVII.



Leipzig, Diss., 1777 A-0

ULB Halle
004 568 583

3



sb:

f

Farbkarte #13

B.I.G.

Inches	1	2	3	4	5	6	7	8
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8
Blue								
Cyan								
Green								
Yellow								
Red								
Magenta								
White								
Black								

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20

DE
ENDI INFANTES
OSITOS.

RIPSIT

ET

M ORDINIS AVCTORITATE

A E S I D E

GOTTLOB EINERTO

ET PHILOSOPHIAE DOCTORE

EMBR. MDCCCLXXVIL

P V T A B I T

ELMVS SCHWETSCHKE

CHAVIENSIS.

P S I A E

CINA HOLLIANA.

1777 23.